

DE ORIGINE ORDINIS CAMALDVLENSIS.



Cum APOLOGIA in Auctorem Historiæ Romualdinæ, Augustini Fortunij à Fesulis Monachi Angelorum Florentiæ.



AMALDVLENSIS Ordinis exordia in Sacra Camalduli EREMO excitata sunt Anno Salutis M.XII. ob misterium cælestis Scalæ S. Patri Romualdo illic ostensum: qui Eremitici propositi præcipuus extitit instaurator in Occidentis Partibus, Othonis.III. atq; Henrici.II. temporibus; qui quidem illi quàm deuotissimi extitere. Porrò Romualdus nobilissimus Rauênatum, cum adoleuisset multùm pietati Religiosæ deditus; & incentiua carnis superare nesciret; annos natus viginti ad Cœnobium Classis Monachorum nigrorum Cluniacensis Congregationis profectus est; vt pro quodam Sergii Patris homicidio pœnitentiam XL. dierum

impietate pia retinerent. Quo in sancta vocatione confirmato: factum est vt Sergius quadam die orationi incumbēs Spiritum Sanctum ante dies mortis suæ viderit; quæ mors meritis filii Romualdi contigit illi felicissima. Qua diuulgata fama, Otho Cæsar ad B. Romualdum veniens, atq; in lectulo illius per noctem ad S. Adalberti hospitatus, eum Abbatem Classis inuitissimum fecit. Qua deinde deposita dignitate, propter Monachorū inobedientiā, apud Tiburtinā Vrbem (vbi obsessos Ciues iratissimo Imperatori reconciliauit) B. ROMVALDVS ad lucrandum D. N. Iesu Christo animas se totum dedidit: nec non ad construendū Discipulis Monasteria, & Eremos per varias regiones, qui quotidie numerosi augebātur. Quòd Otho ipse Imperator, qui peccata sua ad pedes B. ROMVALDI confessus fuerat, in actu pœnitētiæ Quadragesimā integrā cum Cœnobitis Classensibus traduxerat; nudisq; pedibus propter illatam mortem, falsæ fide, Crescentio Senatori; Vxoreq; illius in Concubinā suscepta; ad Diui Michaelis Archāgeli Montis Gargani Apuliæ proficisci visus esset. Sanctus verò Bonifacius ipsius Imperatoris cōsanguineus, Monachus cum multis aliis ex Aula factus, martyrium pro fide Christi in Russiæ oris, vbi per igneos globos omnino illæsus pertransierat, felicissimè compleuisset, Rege effecto Christiano cū omni populo. Id quod SS. Ioanni, & Benedicto; qui instante eodem Imperatore ad Boleslaum Regem Poloniæ, vt enunciarent ibi Euangelicā gratiam, profecti fuerant, similiter contigit. Igitur cum B. ROMVALDVS cētum iam loca, vel plura diuersis in regionibus, atq; Prouinciis cōstruxisset in vestibus suis nigris: nec ab huiusmodi sollicitudine animus ipsius quiesceret, ingrauescente maximopere ætate. Factum est Dei prouidentia, vt ad Campum speciosum Malduli in Apennino Tusco quadā die descenderit; qui vtiq; locus pulcherrimo Abietū nemore circumdatus erat, atq; limpidorū fontiū aquis irriguus. Vbi præ lassitudine itineris ad proximiorem nūc Basilicæ cū modicum soporatus quiesceret; raptus est in spiritu,

viditq; ascendere per gradus Scalæ à terra in cælum vsque erectæ Monachorum splendescentium cœtum in vestibus albis. Quibus coniunctus, oraculum Diuinum suscepit, vt ibi loci in Habitu albo Eremum Discipulis construeret: consurgensq; occurrit fortè Maldulo loci, ac Syluarum Domino. Is Ciuis erat Aretinus, in baptismate Nomen Familiæ sortitus; quæ de Magdali Oppido Iudeæ olim aufugerat sub excidium Vrbis Ierosolymorum: & illis diebus ad Oppidum Collis Vallis Elsæ primò cœperat dilatari. Qui quidem Maldulus se ipsum cum omnibus suis bonis Deo, & B. Romualdo sponte obtulit, atq; tradidit. Iam verò cum misterium ipsius Visionis concordi voluntate Helemperto Episcopo Arretii renunciassent; ille ad campum ipsum Malduli digna comitante caterua veniens, sine mora tùm primarium Oratorii posuit lapidem; necnon quinq; inter se distantium Cellularum Eremiticarum: tum verò quinque ex Discipulis S. Romualdi albis vestiuit indumentis, quos S. Pater in ipsis constituit Cellulis: docuitq; suo exemplo Eremiticæ obseruantiæ districtum tenere rigorem. Mansit namq; cum illis diuturno quinque annorum spacio in Cellula, quæ ad hanc vsque diem Nomen illius retinet; ad quam Miraculum fagi incisæ contigit, quæ super eam ruens existente intus Viro Dei, ad signum Crucis per eum factum in aliam partem contra naturę vires versa est, vt scribit B. Petrus Damianus. Anno item quarto (vt venerabilis etiam Lucas notat ex Historia Vallis Vmbrosæ) S. Romualdus habuit ibidem inter alios Discipulos B. Ioannem Gualbertum, quem à Deo inspiratus ad inchoandum illam Congregationem dimisit. Ne autem contingeret ipsos nouos Eremitas in solitaria quiete turbari, propter frequentiam viatorum, aut hospitum cum lustrasset circum consistentes regiones vt Hospitum Domum idoneo in Situ institueret: id tandem facere placuit ad radices Montis Cotozi; in Valle videlicet Pratorum Metaleti, vbi Aquę fontium Sacræ Eremi in alueum fluminis Arclani, confluunt: & fons, qui bonus dicitur, ad Palatium

Malduli

Malduli ſcaturire cernitur perpetuus. Qua conſtructa Domo, Monachum vnum præsbyterum cum tribus Conuerſis in ea locauit; qui cum feruore charitatis, vltrà curam Hoſpitum, de rebus quoque ad ſuſtentationem Vitæ neceſſariis ad ſacram Eremum per ſingulos dies mittendis eſſent ſolliciti. Tunc autem cum ſæpe à ſacra Eremo ad Camaldulum deſcenderet; Diabolus (profectibus Viri ſancti, vt ſemper, inuidens) quadam die voluit eum ex quodam altiori ſtricto tramite in Gurgitem fluuii præcipitare: ſed S. Romualdo manus ad lapideum montem extendente; qui vt mollis cera ceſsit, malignus nihil profecit. Ibi autem extructum eſt Sacellum, quę Caſella S. Romualdi vulgo nuncupatur. Poſt hæc in Sytriam ad alios antea ibi relictos Diſcipulos tranſitum facere volens (vbi iuſſus fuit a Deo, poſt ſęuam ſuperatá malignantium Diſcipulorum tempeſtatem, Expoſitionem notiſsimam Pſalterii edere) Petrum Dagninum primum Priorem illis præfecit; dans illi in mandatis, vt Templum ad ipſum Hoſpitium fontis boni ædificandum curaret: ne vbi Lya cum Martha eſſet, Rachel cum Maria ad pedes Domini deficeret. Tunc ergo B. Romualdus diſcedens, ad ſuos Camaldulenſes non remeauit; niſi poſtquam ex ipſa Sytria ab Henrico Imperatore euocatus (qui Viro Sancto aduenienti apud Senarum Vrbem occurrens, in illa religionis intuitu prorupit verba, *Vtinam eſſet Anima mea in corpore tuo*) obtenta Abbatia Montis amiati, vltimam Eremum, quæ ad viuum dicitur, conſtruxit; quæ inſtar noſtræ Camalduli pulcro Situs, & diſpoſitionis parallello diu floruit. Tunc ergo, appropinquante Vitæ termino, ſacra ſua Camaldulenſi EREMO repetita; cum interfuiſſet Dedicationi Templi vtriuſq; Domus, quæ à Teodaldo Pontifice Aretii facta eſt, qui B. Romualdum in ſpiritualem Patrem prælegerat; commendata eidem dilecta ſua CAMALDVLENSI Familia; migrans ex Tuſcia, ad Cœnobium Vallis Caſtri in Picœnum deniq; ſe ſe recepit. Vbi ad Cellulam ſuam, S. Blaſioli nuncupatam, quæ ad radices Montis S. Vi-

cini ſita ad hanc diem viſitur, conſumptus ætatis decrepitate Animam Domino Ieſu Chriſto reddidit inſtar S. Pauli primi Eremitæ, die XIX. Iunii Anno Domini M. XXVII. exacto Vitæ curſu centum viginti annorum, vt teſtatur B. Petrus Damianus Cardinalis Oſtienſis, qui poſt quindecim annos eius Vitam luculentiſsimè conſcripſit. quorum nonaginta ſeptem Eremita, & tres Monachus fuit, poſt viginti, quos peregerat in ſeculo, quamplurimis ante & poſt mortem ad eius Tumulum Clariſſimus Miraculis. Propter quæ poſt quinquenniũ Altare ſupra ſacrum Corpus de licentia S. Sedis Apoſtolicæ illi erectum eſt: quæ eiuſdem Canonizatio fuit. Quod ſimiliter ſacrum Corpus, aperto Sepulchro Anno 1466. integrum & illibatum omnino repertum eſt; multis ac multis innouatis Miraculis. Sicut Anno quoque 1480. Sacro ipſo confracto Corpore; & furtim ad Aeſinam Vrbem delato; & deniq; in Oppidum Fabriani translato, & in Templo S. Blaſii honorificentiſsimè locato; factum eſſe, ac quotidie fieri nemo noſtri Ordinis ignorat. Porrò Cognomen CAMALDVLI nouæ Congregationi Albæ inditũ eſt ab ipſa voce Campo Malduli; Palatiiq; Vocabulo, Dictionibus per Syncopam coniunctis. Quomodo nunc temporis Venetiis quoque accidere videmus, vbi de clariſſimis Familiis vulgò dicitur, *da Ca' Ponte, da Ca' Prioli, in vece di Caſa da Ponte, o di Caſa Prioli, & ſimili.*

Inſignia verò Calicis, ad quem duæ Columbæ albæ bibituræ acceſſiſſe cernuntur, Stella lucente ſuperpoſita; tunc à Patribus in Sacra Eremo primùm ſunt ſuſcepta quando Eremitarum Coloniæ in alias Prouincias mitti cœptę ſunt. Poſt tranſitum namq; S. Patris ROMVALDI tanta opinione ſanctitatis, atq; numero fratrum viſa eſt creſcere Eremi Congregatio, vt vſque in Sardiniæ, & Corſicæ Inſulas Camaldulenſes fuerint aduocati. Quamobrem neceſſarium fuit proprium Inſigne, de more communi aliarum familiarum, excogitare, quo loca Camaldulenſia notari poſſent. Deſignat autem Calix Statum Pœnitentiæ, ſolitariæq; vitę rigorem, cum

cum mortificatione Carnis, ac Sensuum: sicut duæ Columbæ albæ insinuant puritatem mentis, & corporis, atq; animi simplicitatem, cum meditatione Passionis Christi Iesu D. N. qui est Stella super posita: vt probentur Spiritus, si ex Deo sunt: & verè vt contemplatiui lucent.

APOLOGIA.

TAlia cum extiterint Camaldulensis Ordinis nostri exordia: quemadmodũ ex antiquis monumẽtis Sacræ Eremi constat; Et nos latius in nostris Historiis exarauimus, quę Decreto Patrum probatæ superioribus annis impressæ fuerunt ære publico. Equidem satis mirari non desino, qua ratione adductus Reuer. Auctor Romualdinæ Historiæ diuersa de Origine vestimenti albi; Nomẽclaturæq; Cõgregationis tradere voluisse videatur. Quandoquidem vnica sola est veritas, quæ fides, atque Anima Historiæ censetur. Is namq; de misterio Scalę cælestis S. Romualdi verba faciens, Monachos tantùm splendescentes fuisse commemorat: quòd autem albescentes extiterint, silentio præterit. De Nomine autem CAMALDVLENSI, nititur ostendere ex relatione cuiusdam Monachi nigri, Discipulos S. Romualdi primis temporibus vocitatos fuisse Romualdinos in quadam Scriptura, in qua de Petro Vrseolo, Ioanneq; Gradenico habebatur mentio. Quasi velit arguere, idem de nobis quoq; euenisse. Quæ nimirum diuersitates (cum aliis infra citatis) & si friuolæ omnino sunt, & pro nihilo à nobis reputantur, qui inducti fuimus ad scribendum ex obedientiæ Maiorum Sacramento: emensiq; sumus spacium XII. annorum in earum compilatione. Quo temporis decursu per omnes Prouincias dedimus operã in singulis Cœnobiis (sicut bis terq; in sacra Eremo nostra, in Archiuioq; Camalduli fontis boni inprimis incubueramus) sigillatim omnes Scripturarum, Instrumentorum, atque Priuilegiorum paginas fideli diligentiæ cura euoluere, non solùm vti Monachus; verùm

etiam

etiam vti Notarius publicus, quo in ſeculo fungebar officio. Veruntamen quia non omnibus datum eſt adire Chorinthum: & multi multa loquuntur: Quò tendat Dictorum huius Eremitæ nouitas, breuis huius Apologiæ reſponſionibus aperire aggredimur. Quatenus videlicet ſacra noſtra CAMALDVLI Eremus in ſua Origine Læſionem pati dignoſcitur. Nam in cæteris telam ipſius Romualdinæ Hiſtoriæ in ſuo robore in præſentiarum relinquimus. Idq; proteſtatione quoq; præmiſſa, quòd honoris ſolummodo noſtri gratia, hortatione religioſorum amicorum ad id faciendum adducimur: non vt cuiquam ex profeſſo iniuriam irrogare velimus. Tametſi iſte Pater cum Alienigena genere, atque præsbyter ſecularis primùm Religionem ingreſſus, & inter nos nullatenus verſatus, videtur appuliſſe animum ad ſcribendum magis fretus ingenio, multa ſe ſcire putans, & in ſuo ſenſu abbundans deceptus, quàm vt res haud dubiè maximopere trita eius ſententiæ indigeret iudicio, ſeu diffinitione.

Quod enim ad album Veſtimentum attinet, cum ipſe fortaſſe non legerit ea, quæ ex antiquis Eremi noſtræ monumentis à Patribus Vitæ S. Romualdi addita fuere, quæ impreſſa fuit ſub auſpiciis Leonis X. Pont. Max. Anno 1513. propter obtenta Anno eius primo ampliſſima initæ nouæ Congregationis noſtræ Priuilegia; In quibus quidem Monumentis hæc habẽtur verba. *Anno verò Domini MXII. idem B. P. Romualdus cupiens locum idoneum Eremiticæ Conuerſationis inuenire, peruènit ad iſtum locum Camalduli; vbi dum paululum laſſus requieſceret, raptus in ſpiritu vidit ad inſtar Iacob ſcalam excelſam ſuo vertice cælum tangentem, per quam ſplendeſcentium, atq; albeſcentium videbatur aſcendere multitudo.* Nil mirùm profectò quòd Participium Albeſcentium ab ipſo ſubtrahatur; ſeu fides cæleſtis Oraculi non fuerit integrè ab eodem notata. Albeſco namq; Verbum, albus fio apud Grammaticos ſignificat: quemadmodum videlicet Diſcipuli S. Romualdi, antea tunicis nigri, propter ipſam cæleſtem Viſionem in albos iam iam immutari incipiebant. Præterea cum non animaduer-

inaduerterit in eisdem Monumentis illa Verba, *peruènit ad istum locum Camalduli*: nil mirum, vt in hac quoque parte deceptus, minimè sit recordatus, quomodo plæræq; ex Congregationibus Religionum Vocabulum sui Cognominis ducunt ex loco, vnde originem trahunt. Qualis Carmelitarum à Monte Carmelo (non ab Helia propheta, seu Helisęo Auctoribus) & Carthusiensis à Carthusia Sylua. Vallis Vmbrosæ ab Aequiuoca Valle, cum reliquis: & sua Montis Coronę, cui iste Pater primus Romualdinæ Cognomentum addidit. Quòd enim ad citatam scripturam tempore Ducis Vrseoli pertinet, & eorum temporum Monachorum; si isti Romualdini scripti vsquam leguntur, nos quidem certè nihil aduersamur, quominus taliter in Aquitania nominari potuerint, & fortasse hodie nominentur; si qui eorum successores inueniuntur. Sed consequentiam negamus, vt nos CAMALDVLENSES propterea Romualdini vnquam dicti fuerimus. Cùm quia sacra nostra Eremus, vt prædiximus, à Situ notissimo cognominatur: tùm etiam quia Discipuli S. Romualdi Vallis Castri inter Picœntes, penes quos solos custoditur eius Sacratissimum Corpus, Miraculis semper nouis famosissimum: quamuis per quadrigentos certauerint annos de Primatu cum omnibus Monachis, & Eremitis aliorum Locorum, qui fuerant à S. Romualdo instituti, ratione prętensę præheminentiæ, ac Dignitatis tanti asseruati apud illosmet thesauri. Nunquam tamen Romualdinorum ipsum introduxerunt Vocabulum: vt ex eorum omnibus libris, atq; scripturis videre est. Quę res eò magis roboratur, quò Ordini nostro Camaldulensi nō nisi Sancta Sede Apostolica cogente nouissimè copulati sunt Anno 1400. Ex quibus manifestum est, Romualdinorum Titulum in Italia ante Romualdinam Historiam nequaquam in vsu fuisse. Nec solùm iste Pater in præmissis apertissimè fallitur: sed in positione quoque Hospitii Fontis boni: dum videlicet vertit in dubium, num opus deniq; consumptum sit ad Palatium Malduli. Quandoquidem eius Turris ad hanc vsq;

diem

omnem alium locum sub Auspiciis Oraculi Vestimenti albi initiata cognoscatur. Qui postea albus vestitus Monachis Montis Olivueti cõmunicatus fuit Anno 1319. & Congregationi Montis Coronæ Anno 1520. Is autẽ siue rudis, & abiectus: siue maioris aut minoris valoris, & extimationis: siue grossiori, siue nobiliori panno consistat, pro qualitate locorũ & personarum, nihil refert: dummodo qualitatem coloris albi non excedat. Vnum autem illud vltimo loco nos (quòd dolemus) magis turbat; quod iste Pater aliquantulum incautus indigna de misterio Visionum Sanctorum scripsisse iudicari posse videtur. Dum videlicet opinionem aliquorum recensens, qui dixerunt, Visionem Scalæ fuisse factam etiam Maldulo; nec constare, quis fuerit præuentus; ista format Verba. *Eo quòd primus somnium de Scala somniasset*. Quamuis .n. in Iohele c. 2. similia legantur Verba: is tamen non videtur animaduertisse præcedentia. *Iuuenes vestri Visiones videbunt.* Ex quibus nimirum successio legis Euangelicæ præsignatur in exclusione Synagogæ. De cuius Somnijs dixerat Iob. c. 7. *terrebis me per somnia.* Et Ecclesiastes. c. 5. *multas curas sequũtur somnia.* Et Ecclesiasticus. 34. *multos errare fecerũt somnia, & exciderunt in illis*. Igitur cum Visio sit cæleste Oraculum, quo Prophetæ Sancti, aliiq; Viri Deo grati diuino aguntur spiritu ad aliquod peragendũ Ministerium, adquod Dei Ministri specialiter eliguntur: quamobrem Videntes dicti sunt. Et de quibus in libris Prophetarum legitur. Visio Isaiæ prophetæ. Visio Abdiæ. Et in Ezechiele, Vidi Visiones Dei &c. Somnium autem sit, de quo aiebat Terentius. Num ille somniat ea, quæ vigilans voluit? Et Daniel, Vidit Nabuchdonosor Somnium, & conterritus est spiritus eius. Reliquum est, vt confutatis obiectis; Origo, cum Nomenclatura Sacræ Eremi, Ordinisq; nostri Camaldulensis tuta conscientia per omnia capita, qualis in nostris Historiis describitur, ex autenticis Scripturis Antiquitatis sine cuiuspiã iniuria defensata perseueret. Laus Deo in Sanctis suis.

FLORENTIAE, ex Typographia Sermartelliana 1592.
Cum licentia Superiorum.

Mc